IOHANNES DE TURRECREMATA
Süddeutscher Raum, 1477 Seite 61r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



idest ad dampnum suum et detrimentum anime et corporis

Qui egressus ad vulgares populos loquebatur idipsum s. falsa et ficta ad infamiam meam ut averteret devocionem populi a me

Non modo amici ficti ingredientes ad me sed

Omnes inimici mei latenter detrahebant michi scribe et pharisei et consimiles adversum me cogitabant inferre michi mortem contemptibilem et opprobriosam

Verbum iniquum contra omnem iusticiam ordinaverunt inimici mei adversum me in suo consilio dicentes crucifigatur et si hunc dimittis non es amicus cesaris sed istis insultans propheta dicit numquid qui ab iniquis iniuste sompno mortis opprimitur non addet ut resurgat certe sic quia qui potestatem ponendi animam suam habuit et sumendi eam

Quid mirum si inimici mei loquebantur et moliebantur adversum me quando Homo pacis mee familiaris meus comensalis iudas in quo ostendi me confidere tractando eum sicut alios discipulos et sibi specialiter committendo custodiam pecunie fecit magnam supplantacionem contra me ut per osculum traderet iudeis

O deus pater illi ita crudeliter in me deseviunt

Tu autem miserere mei et resuscita me gloriosa resurrectione tercia die et retribuam eis vicissitudinem horum que in me gerunt

In hoc cognovi per experienciam quod in me semper placuit tibi quoniam non gaudebit finaliter populus iudaicus super me quia licet gavisi sint ad horam de morte mea ~~in qua maxime~~ multoplus tristati sunt de resurrectione mea in qua maxime declarata fuit gloria mea

Me autem propter meritum innocencie mee quia semper sine peccato fui suscepisti me animam meam ab inferis corpus meum de sepulchro cum gloria impassibilitatis et immortalitatis resuscitando

ad pilatum

quippe